



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

Perillvstri Ac Generoso Domino Domino Hermanno Iacobo, S. R. I. Comiti
Ab Atthembs, Lib. Baroni Ad S. Crvcem, Domino In Canal, Lvcemaii,
Pothecraii, Reichenberg, Danzenberg &c: Academicæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)



PERILLVSTRI AC GENEROSO
DOMINO DOMINO

HERMANNO
IACOBO,

S. R. I. COMITI AB ATTHEMBS,
LIB. BARONI ADS. CRUCEM, DOMI-
NO IN CANAL, LUCEMAII, POTHECRAII,
REICHENBERG, DANZENBERG & C: A-
CADEMICE INGOLSTADIENSIS CONGRE-
GATIONIS, ALTERA VICE, PRÆFE-
CTO, DOMINO SVO PLVRIMVM
OBSERVANDO.



Lysistratum ego imi-
tor, PERILLVSTRIS
DOMINE COMES, nam
illū aiunt in vulgi fa-
bulam ac prouerbi-
um abiisse, quòd, cùm
extremæ paupertatis esset, tamen di-
ues crederetur; & ab eo alij re ino-
pes, opinione opulenti, vulgò *Lysi-
strati diuitias habere* dicerentur. In

X 2

UDO

EPISTOLA

uno ego hoc libro multum & parum
 affero, quia in eum diuitias inclusi &
 paupertatem, copiam & inopiam,
 Croesum & Codrum. Ita tempus
 monebat; ita res ipsae exigere vide-
 bantur. Nunquam aliàs Fortunae bo-
 na magis suam ostenderunt instabili-
 tatem. Qui heri Pelopis, Tantali, aut
 Zopyri talenta possederunt; hodie
 pistillo aut leberide sunt nudiores;
 Hecala, aut Telenico pauperiores,
 Pausoneq; ipso mendiciores. Vnâ ho-
 râ Mars, Mercurio & Vulcano comi-
 te, Fortunas omnes euertit, quas vix
 longi multorum annorum labores &
 curæ congregauerunt. Hinc luctus &
 lamenta, quibus leniendis solatia
 nulla dari possunt meliora, quàm
 si ad diuinæ prouidentiae, iustitiae, &
 bonitatis leges oculos mittere iube-
 antur. Quod quidem ego ita paupe-
 ribus ac spoliatis cano, vt simul eti-
 am moneam, diuitias non semper
opti-

DEDICATORIA.

Optimis contingere; aut, si contingant, eas ab optimis optimè impendi.

Cuius virtutis, cùm in te, PERILLVSTRIS COMES, Sodalitas nostra Mariana, immò Vniuersitas tota Ingolstadiana nobile exemplum intueatur, iure nomini tuo liber iste à me dedicatur. Nam, præter inclytum stemma, & sanguinem verè generosum,

*Dij tibi diuitias dederunt, artemq̃
fruendi.*

Rarò hæc duo in alijs sociantur. *Diuitias* multi sæpe, pauci etiam simul *artem fruendi* obtinuerunt, nummis in nugas, & haud rarò in æternum quoque exitium abusi; quasi perire non possent, nisi pecunijs, ad generum Cereris aditum sibi facerent. Aliter tu, etiam in his iunioribus annis, vti auro didicisti. Impendis, vt decet; in honestam vitæ sustentationem;

EPISTOLA

nem; in litteras, in pietatem. Vita tibi adiungit authoritatem, tuo argento ornantur bibliothecæ, tua liberalitate egentes vestiuntur. Quod eâ prudentiâ agis, ut, quisquis te no- uit, nec prodigum esse dicat, nec par- cum. Haud immeritò igitur hunc ti- bi consecro librum, in cuius prima, fronte ipse es pro exemplo ponen- dus.

Sed & altera quoque caussa est, præclara eruditio tua. Vidi multis libros inscribi, quos non intellexe- runt. Tu hunc librum lecturus es, & intellecturus. Ita enim emines inter litteratos, ut inter Iuris Litas qui- dam Hesperus esse videaris. Certè qui te audiunt leges interpretantem, aut decidentem lites, grauissimas- que Iuris quæstiones adducentem in controuersiam, nulli secundum esse affirmant. Quam ob rem, quod pau- corum est, publico te ausus es certa-
mini

DEDICATORIA.

mini committere, & iuris non iam auditores tantum, sed etiam Professores in arenam prouocare: ac, ne in angustum contraheretur occasio praeliandi, cum alijs ad magna promouendis vna sufficiat controuersia, tu centum contentus non fuisti. Nimirum, vt in multis alijs sæpenumero discrepant natura & industria, ita in te studium atque ingenium paria existerunt.

Quoniam autem omnes scientiæ sine virtute, membra sunt sine anima, illud est quod in te maximè suspicimus, vt omnia in te viuerent, intellectum scientijs, virtutibus voluntatem ornauisti. Quæ tantò in te sunt conspectiores, quia res diuersas inter se se faciunt conspirare. Res pulcherrima est, in vno pectore iuuenilis ætas, & virilis grauitas; opes bonæ, & boni mores; abundantia, & temperantia; gloria & modestia; in-

) (4

geni-

EPISTOLA.

geniū prudens, & prudentia ingenio-
sa; deniq; docta pietas, & pia eruditio.
Hæc in te vidit, & admirata est vni-
uersa Sodalitas Mariana, voluit ergo
non admirari tantū, sed etiā vene-
rari. Quare alterâ vice, in Præfectum
elegit; vt tam illustris lucerna supra
candelabrum posita omnibus, qui in
hac Deiparæ domo sunt, præluceret.
Eius itaque Congregationis nomine
mihi quoque commissæ, titulo tuo,
vtique & merito, librum hunc meum
insignio; qui si ab authore obscurus
est, non potui ei lumen aptius appo-
nere. Vale. Ingolstadij Anno. 1648.
7. Cal. Iun.

PER ILLUSTRIS ET GE-
NEROSAE DOMINA-
TIONIS TVAE

Seruus in Christo

GEORGIUS STENGELIUS
SOC. IESV.